



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVIII. Institutiones vel destitutiones sine fratrum consilio non sunt
faciendae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

quæ dispensatio fit super his adhibenda. Si enim matrimonia ita occulte contrahantur, quod exinde legitimi testes non appareant, hi qui ea contrahunt, non sunt aliquatenus ab ecclesia compellendi. Verumtamen ea, quæ sic contracta sunt, si personæ contrahentium voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab ecclesia recipienda sunt ac comprobanda, tamquam a principio in conspectu ecclesiæ contraherentur. Si qui autem de clandestino matrimonio postmodum ab ecclesia comprobato & ramento habito, geniti fuerint, eos legitimos iudices filios & heredes.

De in clandestino matrimonio genitis.

CAP. XVIII. *Idem Beluacensi episcopo.*

Novit plenius, sicut credimus, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui vnum corpus sitis: ita quod tu caput, & fratres tui membra esse comprobentur. Vnde non decet omisis membris, te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium, & honestati tuæ & sanctorum patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, abbates, abbatissas, & ceteras personas ecclesiasticas instituis ac destituis, non considerans & attendens, quomodo te non sit dubium sacros Canones transgredi, cum in huiusmodi causis & clericorum & laicorum circa te commorantium, qui de corpore ipsius ecclesiæ non sunt, potius quam fratrum tuorum consilio uti dicaris. Inde est quod apostolica auctoritate prohibemus, ne abbates, abbatissas, vel alias personas ecclesiasticas sine assensu & consilio * prioris * quod fratrum tuorum canonicorum instituire, vel destituere, aliqua de cetero ratione præsumas. Quod si forte, quod non credimus, contra præceptum nostrum venire præsumpseris, nos tales institutiones & destitutiones, si quas amodo feceris, cassamus, & omni robore decernimus & stabilitate carere.

* f. add. tam

* f. quam

CAP. XIX. *Idem eidem in eodem libro.*

Quanto maiori dignitate, dante Domino, præmines, tanto te decet amplius & oportet in omnibus eam diligentiam & grauitatem habere, quod omnia videaris sine nota & reprehensione peragere, & laudabiliter iniunctæ tibi

Zzzz iij